



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

115. An, & qualiter Papa deroget patronatibus ecclesiasticis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

dicitur assequi vel obtinere ex novo jure, sed retinere seu continuare jure primavo. Card. de Luca. *in sum. juris patronatus* n. 10. De cetero, si qui alii conringunt, quamvis nimium rari, casus derogationis, justam habent causam. v. g. expellendi intrusum, seu provisionaliter ad tollendas lites, scandala, seu scandalorum occasiones inter contententes & pertinentia juris presentandi. Idem Card. *ibid.*

Questio 115. An, & qualiter Papa derogat patronatibus Ecclesiasticis?

Respondeo: illis solere Papam in totum derogare; sed quod cessent ibi dicta illa rationes; nimirum ut homines non retrahantur à fundandis Ecclesiis, utpote quæ non considerantur, nisi in patronatibus laicorum, hoc est, fundatorum ex bonis patrimonialibus. Lott. n. 103, & 104. juxta gl. in *c. dilectus*, h. t. qui etiam dicto n. 103. idem censet de patronatibus ita mixtis, ut non præponderet qualitas laicalis, vel etiam spectantibus ad alios jure specialii.

Questio 116. An, & quibus patronatibus derogaverit, eos revocando, Trident.?

Respondeo primò: Trid. *sess. 25. c. 9.* patronatus reliquos (intellige non competentes verè ac realiter ex fundatione & dotatione) omnes tam in beneficiis facularibus, quam regularibus, parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscumque aliis beneficiis in Cathedrali vel collegiata Ecclesia, seu facultates & privilegia concessa, tam in vim patronatus, quam alio quocunque jure nominandi, eligendi, presentandi ad ea, cum vacant, (exceptis patronatibus super Cathedralibus Ecclesiis competentibus, & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem & Reges, seu regna possidentes, aliòsque sublimes ac supremos principes jura Imperii in suis dominiis habentes, pertinent, & quæ in favorem studiorum generalium concessa sunt) in totum prorsus abrogata & irrita, cum quali possessione inde secutà decernit, verba hæc sunt Tridentini.

2. Sic itaque vi præsentis decreti sublatis sunt patronatus ex privilegio, non autem ex fundatione & dotatione, uti expressè S. Congregatio Conc. 4. *Decemb. 1586.* & juxta hanc Lott. *l. 2. q. 8. n. 12.* Garc. *p. 5. c. 9. n. 115.* Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 12. n. 63.* citans Gonz. *ad reg. 8. gl. 18. n. 97.* Paris. & c. Proceditque id ipsum, etiam in privilegio diceretur, quòd jus patronatus concessum esset ejusdem prorsus naturæ ac roboris, ac si ex fundatione & dotatione competeret, vel quale est Regum. Barb. *loc. cit. ex Garc. n. 118.* juxta ejusdem S. Congregationis decis. quam recitat. & Gonz. *ubi ante. n. 102.* cum enim sit ad instar, & non propriè Regum, aut ex fundatione, non comprehenditur sub exceptuatis, Garc. *loc. cit.* juxta eandem S. Congreg. declar. Quin & quòd prægnantiores sunt clausulæ & decreta hujusmodi, eò magis in privilegium sonant, consuetaque illa clausula: *perinde ac si ex dotatione, ex vi & proprietate dictionis illius; perinde, resolvitur tota in impropriatatem & fictionem.* Lott. *cit. q. 8. n. 23. & 24.* juxta plures Rotæ decis. quòd idem observandum circa id, quòd mox subsequitur. Item procedit, etiam in privilegio diceretur jus patronatus competere non solum ex privilegio, sed ex vera & reali fundatione & dotatione. Barb. *ibid. ex Garc. n. 117.* & Gonz. *n. 97.* juxta decis. Rotæ in una *Placent. parochialis. 29. & ult. Jan. 1594.* quam fusè recitat Garc. in qua et-

iam dicitur, nihil ob stare, quòd sic loquatur privilegium; cum clausulà illà non obstante, patronatus hujusmodi passim dicuntur ex privilegio, licet habeant aliquid plus prærogativæ, quam patronatus ex simplici privilegio: ut Moheda *de jurep. decis. 11.* Puteus. *decis. 322. l. 1.* ita tamen, ut tantæ non sint potentia, ut per hoc à concilio præserventur, maxime cum concilium loquatur per verba importantia veritatem, dum vult, quòd titulus sit ex fundatione & dotatione; unde impossibile est, ut porrigatur ad patronatus, qui sunt tales per fictionem, ut in simili receptum est, dum Papa per suam constitutionem decernit Notarios non participantes esse veros, & non fictos familiares; nam non minùs ideo dicuntur ficti per privilegium & non veri, ut Castrenf. *conf. 340. vol. 1.* Ideoque licet princeps veritatem mutare non potest, licet possit contra veritatem fingere. Atque ita dicta clausulæ insertæ privilegio non derogant futuris constitutionibus; quia non porriguntur ad constitutiones conciliares, nisi earum nominatim facta mentio, ut Oldrad. *conf. 226. n. 1.* Calderin. *conf. 11. de privilegio.* Item procedit, dum constat de origine privilegii, vel jus patronatus præsumitur esse ex privilegio, & adest immemorialis; hæc enim non prodest propter appositam in dicto Trid. decreto clausulam: *non obstantibus quibuscumque consuetudinibus.* Barbof. *n. 64.* citans Maslobr. in *pr. habend. concurs. prælud. 7. dub. 3. n. 85.* Garc. *n. 119.* juxta decis. S. Congreg. Concilii, quam *ibidem* refert.

3. Respondeo secundò: nequaquam tamen Trid. dicto decreto aut alibi revocat jus patronatus ex privilegio, dum privilegium concessum ex causa onerosa, v. g. ex causa dotis, seu ex nova constructione vel alia simili causa. Lott. *loc. cit. Barb. cit. n. 64.* Garc. *n. 120.* testans sic tentum à Rota in pluribus decis. quas recitat, siquidem privilegia hujusmodi Concilium dicto *c. 9.* circa finem mandat examinari per Ordinarios, & quos patronatus non repperint constitutos esse in evidentem Ecclesiæ vel beneficii utilitatem, seu dignitatis necessitatem, hos in totum revocent, atque beneficia hujusmodi sine damno illa possidentium, & restituto patronis eo, quòd ab eis idcirco datum est, in pristinum libertatis statum reducant & c. In quo decreto ait Lott. apertè dignoscitur præservatos fuisse patronatus ex privilegio oneroso, juxta repetitas Rotæ decis. Porro ut privilegium tale concessum censetur ex causa onerosa, & concessio non reputeretur tora gratiosa, exigitur, ut onus, sive quòd expensum est, æquivalet concessioni. Barb. *n. 65.* Lott. *cit. q. 8. n. 21.* Qualiter æquivalet, si aucti sint fructus ad medietatem veri valoris annui, Lott. *n. 20. & 24.* Quæ verò requirantur circumstantiæ & conditiones, ut censetur acquisitus patronatus per privilegium ex augmento dotis ad medietatem, non abrogatus, vide apud Lott. *n. 30.* & dictum fuit supra. Sed neque talia jura patronatus ad beneficia non electiva concessa per privilegium ex dicta tali causa onerosa abrogantur; sed præservantur per constitutiones Innocent. 8. & Adrian. 6. præter decretum Trid. emanatas, illa anno 1485. 10. Kal. Decemb. hæc Anno 1522. 9. Decemb. Lott. *n. 25. & 29.* Transeunt enim istiusmodi privilegia in vim contractus (qui, ut Lott. *n. 27.* ex Maudos. *ad rom. conf. 352. n. 24.* sunt de jure gentium, & per principem aequè ac privatam servari debent) ac proinde, ut cadant sub decretis abrogatoriis, necesse est, ut in individuo de hoc fiat mentio, Lott. *n. 25. & 26.* citans Marefchot. *var. resol. l. 2. c. 40. n. 28.* Felin. in *c. cum olim. de sens. & re judicis* n. 5.